



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Horologivm Sacerdotale Sacerdotibus tam Ecclesiasticis,  
quàm Religiosis, præsertim Neomystis Ordinem diei, &  
praxes indicans Opera quotidiana exactè, sanctéque  
obeundi**

**Dirckinck, Johann**

**Coloniæ, 1690**

Hora VI. Praxis orandi ad trinum campanæ pulsum mane, quando Christus  
resurrexisse creditur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50863](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50863)

H O R A V I.

*Praxis orandi ad trinum campanæ  
pulsam mane, quando Christus  
resurrexisse creditur.*

I. **R**egina Cœli lætare alleluja. Ave  
Maria &c.

II. Quia quem meruisti portare; alle-  
luja. Ave Maria, &c.

III. Resurrexit, sicut dixit, alleluja.  
Ave Maria &c

ψ. Gaude & lætare Virgo Maria; alle-  
luja.

℞. Quia surrexit Dominus verè, al-  
leluja.

*Subjungitur oratio Paschalis: Deus qui  
per Resurrectionem Filii tui, &c. Alii  
manè orant. Angelus Domini, &c. ut  
habet infra ad Horam VI. Vespertinam.*

*Tempore tamen paschali,  
ne antè dictum.*



Non tunc fuit.

nulla quies inter orationem

flecti amare Matth. 26.

L

N

mi

For

abl

ali

Ne

df

nie

Ar

doE

um

mu

mu

sh

DE SACRAMENTO  
POENITENTIÆ.

CAPUT I.

Præstanda ante Confessionem.

§. I.

Monita.

**M**onitum I. *Sacramentum Pœnitentiæ est Fons ille, à Deo Ecclesiæ promissus per Zachariam Prophetam. c. 13. Fons patens habitantibus Jerusalem in ablutionem peccatoris. Si igitur delicto aliquo maculatus sis, accede & abluere. Ne tardes converti ad Dominum, & ne differas de die in diem; subito enim veniet ira illius. Eccli. 5.*

**M**onitum II. *Elige Conscientiæ tuæ Arbitrum stabilem, eumque magis piûm, doctum, prudentem, cordatum & strenuum, Eligis in morbis Medicum expertissimum, in litibus Advocatum consultissimum, in navigatione periculosa Navarchum peritissimum, & anima morbos con-*

E 6.

trover.

trouersias, salutem minus experto Medico,  
Iudici, Gubernatori credes?

Monitum III. Electo huiusmodi Ar-  
bitro, velut Christi Vicario, totam con-  
scientiam tuam aperi; & effunde sicut  
aquam cor tuum; ut monet Ecclesiasticus.  
Qui abscondit (extenuat, palliat, colorat)  
scelera non dirigetur Proverb. 28.

Monitum IV. Eà contritionis amari-  
tudine, doloris intensione, propositi firmi-  
tate conscientiam emacula, quã passus  
post moriturus & Iudici omniscio sistendum  
id faceres: & in particulari expendi  
emendationis media & occasionum fugam  
& ut cordatum emendandi propositum de-  
monstres in graviore delicto pœnam de-  
sume, aut in relapsu sumendam statu-  
oracionem, jejunium, eleemosynam, cilicium,  
disciplinam, duriozem cubationem  
&c. Regnum cœlorum vim patitur  
Matth. 11. castiga corpus & in seruitu-  
tem redige cum Doctore Gentium.

Monitum V. Peccata tua sapius ex-  
purgata, si non alternis diebus, saltem semel  
sterùmque in hebdomade, per singula  
enim exhomologeses auges gratiam, obtine

robu

robur contra tentationes. Neque tantum  
confitere labes, sed & labeculas, ut eò pu-  
rior ad puritatis fontem accedas: si enim  
sacerdotes Mosaici sacrificaturi quotidie se  
lavabant in vase aneo, ex speculis mulie-  
rum confecto, ut vel minimas labeculas ab-  
stergerent, quid faciendum incumbet  
Sacerdoti N. L. longè diviniora tracta-  
turo?

Monitum VI. Angustioris conscientia  
misericordiam Dei ob oculos ponat, seque  
ad fiduciã excitet. Semel suspiravit  
David, dicens peccavi, & statim Deus  
peccatum transtulit. Ingemuit & pectus  
percussit Publicanus multis criminibus  
obnoxius, & citò descendit justificatus in  
domum suam. Decem millia talenta de-  
bebat servus nequam, qui proci dens  
rogavit eum, & omne debitum dimisit ei.  
Mulier in adulterio deprehensa stetit  
tremens, dum accusaretur, & confusis  
adversariis, à damnatione eripuit eam.  
Magdalena pœnitenti, omnia scelera re-  
misit, ita ut miraretur Phariseus. Latro  
in cruce uno verbo emollivit viscera ejus,  
& statim paradisi particeps effectus est :

P  
Dirckind  
orolog  
Lacerdot



An non miserationes ejus super omnia op  
ejus? Igitur: sentite de Domino in boni  
Et facite fructus dignos poenitentia.

Monitum VII. Laxioris vero  
justitiam divinam expendat: Et asp  
I. stragem Angelorum quâ tot myria  
ob unicum peccatum è coelo in infern  
deturbati; non attentâ eorum multitu  
ne, pulchritudine, laudibus aternis, qui  
Deum affecissent, aut blasphemis in  
num secuturis. Videat Adamum cum  
ta posteritate ob pomi esum: è para  
ejectum, jure regni coelestis spoliatum  
numerâque mala inde secuta bella,  
mortes, velut divina justitia executi  
Consideret cataclysmum, exceptis  
hominibus, totum orbem aquis suffu  
tem. Sodomam Et Gomorrhâ cum  
Et feminis, pueris Et animantibus  
phureo igne deletam. Core, Dathan Et  
ron, ob murmur contra Moysen Et  
nem, terrâ dehiscente absorptos: Et  
in infernum precipitados Et ad tan  
divinorum judiciorum abyssum exp  
scens dicat: Consiqe Domine timore tuo  
nes meas, à judiciis enim tuis timu

terribilis es in consiliis super filios hominum: sed tamen justus in omnibus viis tuis, etiam dum unam cogitationem, unum dictum, factumve lethaliter malum, licet momentum temporis non excederet, aeternis inferorum incendiis plectis.

## S. II.

## Examen Peccatorum.

**P**remissa oratione & petitione luminis ad cognoscenda peccata, mente percurrere 10. Præcepta Decalogi, præcepta Ecclesie, peccata capitalia, sensus corporis, dies ab ultima exhomologesi transactos, & diei horas ab ortu diei ad occasum, loca item & personas cum quibus conversatus es, & facile in numerum & notitiam peccatorum devenies. Memoria gratiâ brevem attero catalogum.

Cogitationes.	Verba.	Opera.
Acediosa.	Adulatoria.	Acediosa.
Ambitiosa.	Affectata.	Avara.
Avara.	Amara.	Curiosa.
Blasphema.	Ambigua.	Frandulenta.
Curiosa.	Contemptiva.	Dubiosa



Cogitationes.	Verba.	Opera.
Dubiosa circa fidem.	Contentiosa.	Gulosa.
Fraudulente.	Contumeliosa.	Hypocritica.
Gulosa.	Exaggeratoria.	Indiscreta.
Invida.	Ficta fraudulenta.	Injusta.
Iracunda.	Factabunda.	Inobedientia.
Luxuriosa.	Imprecatoria.	Inordinata.
Murmuratoria.	Impudica.	Libidinis.
Odiosa.	Inconsiderata.	Otiosa.
Otiosa.	Instigatoria ad malum.	Partialia.
Pusillanimes.	Iracunda.	Prodiga.
Suspiciosa.	Irrisoria.	Presumptiosa.
Scrupulosa.	Furantia.	Quaestiosa.
Superba.	Mendacia.	Sacrilega.
Temeraria.	Mordacia.	Temeraria.
Vana.	Otiosa.	Vana.
	Superba.	
	Susurratoria.	
	Vana.	

In Sacrificio Missæ examina, utrum deliqueris defectu debite preparationis, examinis, contritionis, devotionis, attentionis, reverentia, observantia rubricæ

rum & ceremoniarum. Utrum defectus commissus, in tempore, loco, paramentis, corporalibus, lumine, ministro, lapide consecrato, mappis, in materia panis, vini, aqua, in obligatione celebrandi pro defunctis. Utrum gratiarum actio distracta, perfunctoria, nimis succincta, mensq; mox ad alia negotia aut colloquia deflexeris.

In Horis Canonicis, num deliqueris, omissione, permutatione, transpositione, distractione, decurtatione syllabarum, festinatione, defectu reverentiae, attentionis, decentiae situs, convenientiae loci & temporis; interpositione fabularum &c. omissione restitutionis partis fructuum ob neglectum officium.

In Administratione Sacramentorum. Utrum sincera fuerit intentio gloriae divinae & salutis animarum, an verò lucri temporalis. Utrum sacra Eucharistia distributa cum debita reverentia, devotione, promptitudine, oculorum custodia: utrum particula vel hostia ex negligentia delapsa & in tali casu rubrica servata: In confessionibus excipiendis, utrum defectus contigerit in scientia, potestate, prudentia,

P

Dirckind

orolog

Lecardot

dentia, modestia, interrogatione necessaria, vel superflua, instructione, libertate, monitione, laxitate vel rigore, observatione sigilli &c. Denique an in casibus difficilibus, absque consilio Doctiorum, in inspectione librorum, cum dubio absolverit.

In Cura Animarum dispice, num defectus fuerit in zelo, cura salutis animarum tibi commissarum, in administratione Sacramentorum, sublatione scandalorum, & peccatorum gravium, in explicatione doctrine Christianae, in ommissionibus concionum, vel preparatione, in reconciliatione dissidentium, in Celebratione Missae diebus festiuis, vel pro defunctis aut vivis: in communione Parochianorum tempore paschali, collatione extremorum Sacramentorum. Num dederit malum exemplum, iram, odio, avaritiam, ebrietate, luxuriam, colloquiis praestitutorum Ecclesiae aut Prelatorum transgressione. Denique num defectus fuerit munditiei in templo, sacristia, Hierotheca, Altaribus, Reliquiis, corporalibus purificatoriis, mappis, vestibus &c.

sacris.  
aliisq;  
ex: offi

Seu

Lice  
Anu

etiam  
cibus

fontem  
nialib.

variet  
dies se

Lac  
ex

I.  
dam o

sacri

sacris. Item in aqua lustrali, chrismate,  
alijsq; ad usus sacros necessariis, ad que  
ex officio obligaris.

## §. III.

## Fontes Lacrymarum.

Seu considerationes ad excitandum.

Dolorem de peccatis.

**L**icet contritio & dolor de peccatis do-  
lanum Dei sit; ea tamen ex parte nostra  
etiam adhibitis considerationibus & pre-  
cipibus procuranda esse: duplicem proinde  
fontem subijcio, primum pro peccatis ve-  
nialibus, alterum pro lethaliibus, ut  
varietas juvet, & per septenos hebdomadae  
dies seruiat.

## FONS I.

Lacrymarum doloris & amoris  
ex consideratione peccatorum ve-  
nialium profluens:

## VENA I.

Natura peccati venialis.

I. Expende: Peccatum veniale est que-  
dam offensa Dei, est culpa, reatus, iniqui-  
tas,

P  
Dirckindorolog  
Lacerdot

tas, impietas quadam, quam Deus aequus  
 mus rerum estimator odit: odio sunt  
 impius & impietas, quod non solum  
 mortali, sed cum proportione etiam  
 niali peccato intelligendum est.

II. Prima odii hujus divini causa  
 contrarietas, repugnantia, oppositio  
 dam Dei & peccati cujuscunque:  
 enim Deus sit sanctitas essentialis, &  
 prema puritas, nullam etiam minimam  
 ferre potest impuritatem; longè min  
 quàm soltenebras.

III. Hinc oritur, quod peccatum  
 unicus & implacabilis Dei hostis, &  
 lum illud malum quo destrueretur,  
 strui posset: satiùsque foret ex  
 etorum totum Universum annihila  
 quàm vel unicum verbum otiosum  
 ferri: majoris enim momenti est  
 mum Creatoris malum, quàm maxi  
 creature.

*Affectus odii & doloris.*

QUanto igitur odio, Anima mea  
 cata hujusmodi prosequenda  
 dolore expianda! quo studio præca

da! cum præstet Angelos omnes interire  
 universos homines damnari, omnes Bea-  
 tos cælo ejici, omnes creaturas in nihi-  
 lum redigi, quàm unico peccato levissimo  
 Deum offendi. Detestor mi Deus, omnia  
 hæc peccata mea, propè innumera, & in-  
 timè doleo, quod toties aliquid tibi dis-  
 plicens perpetrârim.

## VENA II.

Macula peccati venialis.

I. Peccatum Veniale est macula ani-  
 ma, deformans & defœdans præcipuum  
 ac pulcherrimum opus Dei, scilicet ani-  
 mam justæ: est velut ulcus in venusta fa-  
 cie; est velut lutum in candida veste: est  
 scabies & sanies purulenta stomachum  
 aliis movens: quâ si mundari esset in tua  
 potestate, nunquid statim velles?

II Tanta autem est hujus macule fœ-  
 ditas, ut si, per impossibile, esset in Anima  
 Christi Domini, privaret eam visione bea-  
 tificâ, & humanitatem ejus cælo exclu-  
 deret.

III. Imò si præditus esses virtutibus ac  
 meritis Beatissimæ Mariæ Virginis omnis  
 unq̃

umq; Sanctorum, atque ex hac vita sangu  
cederes unâ solùm peccati venialis exhib  
culâ foedatus, eamque per totam aetern non  
tem retineres, nunquam admittereris Ephes  
caelestem gloriam. Quàm venenata q II  
litas!

*Affectus.*

**E**Xhorresce, Anima mea, & cave per se  
unquam voluntariè ejusmodi ma muna  
lam tibi affrices: adeò enim hæc D II  
displicet, ut si vel per unam, omni usos e  
hominum peccata impedire, omnes p tam  
catores sanctificare, omnes damna ac in  
cælo posses invehere; Deus tamen prop specti  
effectus adeò præstantes, in admissione quan  
vel unici peccati venialis non præbe Et ta  
assensum. Admirare & dole de tua tem  
negligentia. affect  
circu

V E N A I I I.

Malitia peccati venialis.

*I. Malitiam peccati hujus ex eo col  
quod Christo Domino, mundissimo erga  
puritatis speculo adversetur, ac dis  
at, magni ei steterit, & pro eâ delo novi*

vitam sanguinem pretiosum fuderit: ut scilicet  
 is exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam,  
 terni non habentem maculam neque rugam.

revis.  
 Ephes. 5.

II. Tanta deinde eius est malitia, ut  
 omnia Martyrum sanguis, omnia Con-  
 fessorum lacryma & pœnitentia, omnia  
 Sanctorum merita, & heroica facinora,  
 cave per se sola sumpta, non sint sufficientia ad  
 mundandum ab unica veniali labe.

III Ne ergo mireris Sanctos tantâ  
 usos esse cautelâ, tantâ sensuum custodiâ,  
 nes tam accurata presentia divina memoriâ,  
 ac in omnibus operibus & verbis circum-  
 amne spectatione & vigilantia. S. Joannes Baptista  
 prop. quantus sanctus? in utero sanctificatus,  
 ffion & tamen in eremum secessit; Ne levi sal-  
 præbe tem maculare vitam fame possent. Loco  
 tua in affectus, desiderium imitandi Sanctorum  
 circumspeditionem excita, & attende tibi.

## VENA IV.

### Ingratitudo.

I. Considera ingratitude tuam  
 erga Deum, qui omni momento novis,  
 a dele novisq; beneficiis te afficit; & tu loco  
 gras



gratitudinis tantum peccatorum venialium numerum. reddis, qui per vitam cursum fortè ascendit ad quinquaginta vel centum millia. O quale chaos!

II. Deinde ingratum te exhibes Christo Salvatori tuo, tum propter tot auxiliorum gratia, qua tibi promeruit, ac semper fert; tum propter alia beneficia innumera. Et tamen vide num sit creatura in mundum quam toties Et tam audacter offenderis idq; ex levisimis causis.

III. Ingratum denique te ostendis Spiritui Sancto, cuius templum, quod tu, pulveribus Et araneorum telis ac stiolis deturpas; idq; levissimis de causis sumpta ex rebus minimis occasione, scilicet propter respectum humanum, carnalium moditatem corporis, sensualitatem, et similia. Quantum dedecus! Doleas quod digne suffundere, quod res adeò vilius quam Deum curaveris; Et deinde peccatorum odium, sedula mortificatione sensualitatum demonstrare statue.

#### V E N A V.

Effectus peccati venialis.

I. Peccatum veniale cor hominis

create affigit, à perfecto Dei amore retrahit, dum charitatis fervorem imminuit, & unionem affectuosam anima cum Deo summo Bono suo impedit.

II. Deinde obscurat intellectum, voluntatem indurat, in virtutum exercitio alacritatem, in cultu divino gustum aufert, quemadmodum humor vitiosus in lingua gustum & delectationem ciborum. Opera bona minus Deo grata, minus meritoria reddit.

III. Denique peccatum veniale disponit ad mortale, veluti agritudo ad mortem; & potio occultè venenata disponit paulatim ad interitum; tum gratiis divinis ponendo obstacula, tum Daemonis insultibus aditum patefaciendo, qui animam reperiens debiliorem, utpote ordinariis gratiæ presidiis destitutam, facile evertit. Unde gravem cujusdam Clerici aut Religiosi ruinam audiens eam non subito accidisse credas, sed sensim, à peccatorum venialium neglectu: sicut trabs à vermibus paulatim exesa, onere imposito, tandem repente corrui. Dole & te ut pupillam oculi custodi.

F

VENA

## V E N A V I.

Pœnæ hujus & alterius vitæ

I. Expende pœnas in hac vita ob  
niale peccatum à Deo inflictas. Moyses  
Aaron licet magni Dei amici, tamen  
diffidentiam, terra promissa ingressu  
clusi sunt. Uxor Loth ob curiosita-  
oculorum in statuam salis conversa.  
cum irreverentia arcam Domini tangit  
morte subitanè castigatus est: quis  
paveat?

II. Bethsamitarum quinquaginta  
lia cum septuaginta Principibus  
Arcam curiosius inuentes repenti  
morte extincti sunt. David ex vanitate  
subditos numerans, septuaginta milia  
hominum excidio per pestilentiam,  
Etatus est. Esaias Rex in thesauris  
vanè sibi complacens, amissione bonorum  
honoris, valetudinis & vitæ punitus  
Quis non horreat?

III. Post hanc vitam verò, in judicio  
particulari, austeriore vultu à Christo  
Judice aspicietis, ad beatificum Dei

Etum & amplexum non statim admitte-  
ris, sed ad purgatorii ergastulum aman-  
daberis. Ubi expende: si aulicus tanto-  
pere apprehendit, quod à Rege jubeatur  
ex aula facessere: Si Nauta tam agrè  
ferat, quòd peractà navigatione longè  
portui appropinquans subita tempestate  
repellatur in Oceanum: Si Filius nobilis  
ita percellatur, quod ex longinqua pere-  
grinatione redux loco paterni, materni-  
que amplexus compingatur in carcerem:  
quanto luctu & mœrore repulsam ex aula  
cœlesti, à portu felicitis aternitatis, ab  
amplexu divino amabilissimo tu feres?  
Dole itaque, & cave tibi.

## VENA VII.

## Ignis purgatorii.

I. Apprehende vivaciter, Ignis pur-  
gatorii flammam esse longè acerbissimas,  
omniâque Martyrum tormenta & carni-  
scinas multis passibus superare: est enim  
idem ignis, juxta nonnullorum sententiam,  
qui damnatos & demones cruciat, licet  
Christi pari modo.

II. Deinde paucissimos esse scias, qui

F 2

absq̃

absque purgatorii pœnis rectè evolem  
 caelum; ut patet ex Dialogis S. Grego-  
 ex Historiis Ecclesiasticis certissimis,  
 benè probat Bellarminus l. 1. de amissio-  
 tia c. 13. Quomodo igitur laborandum  
 ut sis è numero paucorum?

III. Noveris denique paucos esse  
 parvo tempore, purgatorio detineantur  
 aliquos certè compertum est, usque  
 diem iudicii ibidem permansuros, ut graviter  
 quodam magno Prelato S. Ludgarda olim pe-  
 velatum est, etsi is fuerit valde bene-  
 Ecclesia meritus. Surius in vita. Quo di-  
 ergo stupida es anima mea, ad fru-  
 pœnas tam acerbis, quæ tam acrem  
 sensum presentium centies minorum  
 post verbum otiosum, post menda-  
 jocosum, post vanitatem aut curiosum  
 mox esses comburendus per carnificem  
 nunquid abstineres? agnosce igitur  
 in gravioribus suppliciis præcausasti?  
 oscitantiam: dole, pave & cave. meum

Lacr  
 dera

SI S  
 De

fontem

usque

graviter

olim pe-

est quæ

Quo di-

V

Ex c

Ingre

tis t

dolore

meum

ex nih

hilo off

litudi

lam d

FC

## FONS II.

Lacrymarum & doloris ex consideratione peccati lethalis profluens.

**S**i Sacerdos graviore aliquo delicto, quod Deus avertat, fortè maculatus sit hunc fontem adeat, atque ut abluatur persequatur, consideret aliquantulum, peccati gravitatem, ne objiciatur ei quod Deus olim per Jeremiam c. 8. locutus est: Nullus est qui agat pœnitentiam super peccato suo dicens, Quid feci?

## VENA I. DOLORIS

Ex consideratione peccati, ut est offensa Creatoris.

**I**ngredere, Anima mea, penetrare mentis tue; atque ut majore compungaris dolore, expende, & oggere tibi ipsi. Quid feci? Ah! quid feci contra Creatorem meum, qui tanta pro me fecit: ipse me ex nihilo creavit; & ego ipsum pro nihilo offendi: ipse me ad imaginem & similitudinem suam fecit; ego imaginem illam delevi, & demonis similitudinem

indui: ipse mihi & anima potentia  
corporis sensus largitus est, ego iisdem  
suis sum, ut eum exacerbarem; ipse de  
mundum hunc elegantem pro me cre-  
dit, & ego, quantum in me fuit,  
totum contra Conditorem converti. Quanta  
malitia!

*Affectus doloris.*

**P**Eccavi, Deus meus, peccavi  
graviter Divinam Majestatem  
offendi; sed vehementer contristor,  
intimo corde doleo, atque affligor  
infinito dolore dolere non posse, quod  
Conditorem meum amantissimum  
beneficentissimumque exasperarim; pro  
nis mala rependerit; donisque tui  
opprobrium tuum abusus fuerim,  
quomodo te placabo? quid faciam, ut  
bita tanta dissolvam? Ecce me totum  
offero tibi ad servitium perpetuum;  
corpus & animam; vitam & omnia,  
etiam vitas, si haberem, libens  
turus. O Deus propitius esto  
peccatori!

VENA

## VENA II. DOLORIS

Ex consideratione peccati, ut est  
offensa Patris.

**Q**uid feci deinde contra Patrem me-  
um amantissimum, qui tanta mihi  
beneficia prestitit? qui voluntariè verbo  
veritatis me genuit; qui etiam non pe-  
percit Unigenito pro sic genito, & cum  
illo omnia donavit, sive quæ in terris, sive  
quæ in cælis. Et ego vicissim quid feci?  
instar Filii prodigi Patrem deserui, pro  
bono malum reddidi, odium pro dilectio-  
ne, obedientiam denegavi, monita sprevi,  
mandata contempsi: verbo, ipse Patrem  
se exhibuit mihi; sed ego non vicissim me  
Filium. Quanta protervia!

*Affectus Pudoris.*

**E**T quâ fronte attollo oculos ad vul-  
tum Patris tam boni, tam malus Filius!  
pudet indigna gessisse genere meo; pudet  
tanto Patri vixisse degenerem: pudet de-  
seruisse paternam domum, dilapidasse  
substantiam, esse partum siliquis, conver-



fatum esse cum porcis. Confundor  
confundor audire: Si ego Pater, ubi  
honor meus? ubi amor? ubi timor?  
reverentia & obedientia? Ô Pater  
cavi in cœlum & coram te; jam non  
dignus vocari filius tuus: fac me  
unum de mercenariis tuis.

### VENA III. DOLORIS

Ex consideratione peccati, ut est  
offensa Redemptoris.

**Q**uid feci contra Redemptorem  
um, qui tanta pro me fecit &  
stinuit? Quid gula mea intemperans  
feci, nisi Redemptori meo fel & aceto  
denuò propinare? Quid meâ superbiam  
nisi ejusdem caput spinis iterum punge  
quid feci proprio mei amore, nisi latus  
latus ejus aperire? quid concupiscentias  
meis, nisi dorsum ejus flagellis lacera  
quid pravis actionibus & desideriis,  
pedes ejus & manus clavis transfigere  
meisq; peccatis iterum crucifigere Filium  
Dei? Quanta crudelitas.

Affec

*Affectus Amoris.*

**O** Salvator mi! estne ullus homo in mundo, aut bestia, quam adeò graviter, tam saepe, tam protervè offenderim, atque te? prò pudor! ah! quâ ratione reconciliabor Tibi? Ecce ad pedes tuos mei causâ vulneratos cum Magdalena prosterno me, veniamque peto humillimè: utinam cum illa amoris & doloris lacrymas profunderem! & nunquam amplius peccarem! Amo enim te, Redemptor amantissime, purè propter te, quia bonus es, quia Deus es, & omni amore dignissimus. Obsecro igitur te, per cor tuum lanceâ transfixum & amoris vulnere saucium, transfige me, vulnera cor meum amoris tui vulnere tam valido, ut ardentissimè, & constantissimè deinceps te diligam, te quæram, te intendam, & à te non separer in æternum. Amen.

## VENA IV. DOLORIS

Exconsideratione peccati ut est  
offensa Domini.

**Q**uid feci contra Dominum meum?  
Contra Monarcham infinite Majesta-

F 5

tis?

tis? Ipse est Deus, ultionum Dominus,  
 Judex justus & fortis, terribilis in con-  
 silis super filios hominum: ideoque super  
 omnia timendus: qui postquam occideri  
 potest corpus & animam perdere in gehem-  
 nam, & ego vile mancipium, abjectissimum  
 servus spreui, offendi, irritavi in  
 Deum & Dominum meum; dicens in cor-  
 de meo, non requiret: qui tamen requirit  
 omnia usque ad novissimum quadrante  
 requiret, & retribuet abundanter super-  
 entibus superbiam: requiret à redemptorem  
 servitium; honorem & gloriam ab eo  
 quem plasmavit. O Domine! si  
 lese Majestatis capite plectuntur; quod  
 supplicium divinam Omnipotentiam  
 temnentium erit?

*Affectus Timoris.*

**E**Xhorresco, Domine Deus magnam  
 & omnibus artibus contremisco,  
 cogitans, quod tremendam Majestatem  
 tuam ausus fuerim offendere vilis pul-  
 culus, levi flatu mox dispergendus,  
 minimè recolligendus. Paveo gehennam

paveo Judicis vultum ipsis quoque tremendum Angelicis Potestatibus. Contremisco ab ira potentis, à facie furoris ejus, à verbo aspero, à ventre Inferi, à rugientibus præparatis ad escam. Quis dabit capiti meo aquam & oculis meis fontem lacrymarum, ut præveniam fletibus fletum, & stridorem dentium, & pondus catenarum prementium, stringentium, urentium, & consumentium. *S. Bernard. serm. 16. in Cant.* Quæ omnia tormenta prorsus debita sunt peccantibus in Dominum talem, & Reis læsæ tantæ Majestatis.

## VENA V. DOLORIS.

Ex consideratione peccati, ut est  
offensa Dei.

Quid feci contra Deum meum? peccavi, & tibi soli peccavi, Deus meus, primum principium, & ultimum finem meum deserui. Peccavi contra Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum, qui in suum me habitaculum elegit & sanctificavit: Peccavi contra infinitam Dei mei bonitatem qua tot beneficiis me cumulavit:

lavit: contra ejus charitatem, qua  
 gratis dilexit: contra misericordiam, quae  
 gratuito mihi peccata remisit: contra  
 omnipotentiam quae in omnibus me adju-  
 vat, conservat & sustentat: denique contra  
 omnes ejus perfectiones peccavi, eas con-  
 culcando, ut propriam meam & perver-  
 sam sequerer voluntatem. O quam  
 iniquitas!

*Affectus Pœnitentiae.*

**M**iserere mei Deus, & sana animam  
 meam, quia peccavi tibi: non aver-  
 tas faciem tuam à me, & ne declines  
 ira à servo tuo, propter delicta mea  
 deserendo, & æternum me reprobantem  
 agnosco culpam, iniquè egi, fateor,  
 pœnitet & pudet peccasse, non pro  
 pœnam temporalem aut æternam,  
 purè propter te Deum meum, summum  
 optimum, maximum, quem super omnia  
 diligo. Exitus aquarum deducant oculos  
 mei, & lacrymis si fieri possit, etiam  
 guineis genas rigent.

## VENA VI. DOLORIS

Ex consideratione peccati, ut est  
Læſio ſui.

**Q**uomodo autem exprimam, quid fe-  
cerim contra meipſum? Animam  
erim meam culpâ occidi; gratiâque &  
charitate ſpoliavi; Dei amicitiam perdididi;  
coeleſtem hereditatem amiſi; meipſum  
Diaboli mancipium reddidi; & reum per-  
petui carceris infernalis conſtitui. Quis  
unquam majori me odio habuit, quàm  
ego meipſum? Quis unquam crudelior  
mihi inimicus extitit, quàm peccatum  
meum! ô miſerum me! quid feci? &  
quid faciam ut amiſſa recuperem, &  
damna reſarciam?

*Affectus Reſignationis.*

**D**oleo ex intimo corde, mi Deus, &  
ideo ſolùm, quòd te infinitè amabi-  
lem offenderim. In punitionem verò &  
ſatisfactionem aliqualem pro peccatis me-  
is accepto ex hoc momento, quidquid  
adverſi per tuam providentiam mihi ac-  
cidere voles, illudque lubens volens per-  
feram.

feram : accepto labores & ærummas  
 morbum & mortem corporalem ad  
 tum & beneplacitum tuum. Domine  
 hinc ure, hinc seca, modò in æternu  
 parcas.

### VENA VII. DOLORIS

Ex consideratione peccati, ut e  
 læsio proximi.

**Q**uid denique feci contra meos proxi  
 mos? alios fortè injustitiã nonnullam  
 affeci : aliis honorem imminui : aliis ex  
 emplo haud laudabili fui : aliis irã, ali  
 invidiã nocui Denique Ecclesiam ma  
 trem meam contristavi, justos afflixi  
 Angelos pacis ad planctum provocavi, &  
 creaturis usus sum contra communem  
 Creatorem. O quid faciam, ut omnino  
 faciam satis.!

#### *Propositum emendationis.*

**O** Domine cum gratia tua vitam an  
 reãctam corrigere firmiter statuo  
 si quid aliquem defraudavi, reddo : ve  
 niam erratorum à te & ab omnibus hu  
 millimè flagito : mihi ab omnibus igno  
 sci

Sci cupio; quemadmodum & ego omnibus  
perlibenter ignosco; pro læsis à me, preces  
ad Deum fundo: fœtorem vitiorum  
meorum, boni exempli ac virtutum fra-  
grantiâ depellere satago: *Tantum mise-  
rere mei, Domine, quoniam infirmus  
sum; sana animam meam quia peccavi  
Tibi.* Psalm. 40.

Categoria malorum è radice pec-  
cati lethalis pullulantium.

*Si tentatio vehementior te pulsaverit;  
aut Caro, Mundus, Diabolusve te ali-  
quando prostraverit; ex hoc, quod sub-  
texo, Alphabeto, literam aliquam aut  
titulum seriò expende vel pro horrore pec-  
cati excitando, vel dolore.*

Peccatum mortale, opere, verbo, vel  
concupiscentiâ perpetratum, tanta gravi-  
tatis est & malitia, ut eam nullus homi-  
num & Angelorum, sed solus Deus per-  
fectè cognoscere valeat: est enim.

Adulterium, quo Anima fidem Deo  
datam in baptismo, frangit: est apostasia,  
seu defectio à parte Dei, & transitus ad  
partes Diaboli.

Bara-



Barathrum est eterna damnationis  
infelicitatis.

Contemptus est Bonitatis, & pulchritudinis infinita.

Destructio est omnium bonorum gratiarum & gloria.

Expulsio est Spiritus Sancti ex anima, & diaboli introductio.

Fœditas est anima tanta, ut creatura universa eam perhorrescat.

Gelu & frigus est lethiferum, ignis charitatis extinguens.

Hostis est Dei capitalissimus, quo nocet odit magis.

Inobedientia mandatorum Dei est injuria Regis aeterni: Ignominia Christi quâ de novo quodammodo Barabba postulatur, aut pro re nihili venditur.

Lepra est, imò latro anime, & laqueus diaboli, quo homines velut aves incaute capiuntur & mactantur.

Mors est anima, quam solus Deus potest suscitare. Macula tam infamis, ut solo Christi sanguine queat abluī. Nil certâ ratione infinitum, quia privatio Boni infiniti.

Nox est anima, caligo, tenebra egyptiacis densiores, quibus homo ita excæcatur ut precipitium non videat æternum.

Origo est omnium malorum temporalium & æternorum.

Privatio gratia: proditio in Deum, quâ homo arcem mentis sue Deo tollit, & in potestatem Diaboli transfert.

Quadriga Luciferi, quâ tot mortalium milliones deveci sunt & devehuntur ad orcum.

Rebellio adversus justissimam Dei voluntatem, & læsæ Majestatis divina reatus.

Sacrilegium, quo violatur templum Dei, & in fanum ac speluncam diaboli convertitur.

Transgressio divina legis & Tyrannus ob synteresin.

Venenum, virus & vulnus animæ mortiferum: Vita non amplius Deo sed Diabolo.

Zizania ab inimico superseminata, in fasciculos colliganda & mittenda in ignem æternum.

O! que pestis! que malorum ilias! considera, trepida & formida.

FONS

## F O N S III.

Lacrymarum Amoris & Doloris  
Pœnitentis animæ, ad imitationem  
rum verè pœnitentium scaturiens.

## V E N A I.

*Ad exemplum S. Petri Apostoli summi*

I. **Q**uis dabit capiti meo aquam  
oculis meis fontem lacrymarum  
ut fleam die & nocte, ac peccata mea  
deplorem? O Magister mi! ô Jesu bone  
quid feci? quàm ingratum me tantis  
beneficiis exhibui? quoties proposuisti  
quoties sanctè promissi, potiùs in carcerem  
& in mortem ire, quàm te Dominum  
& Magistrum meum peccando desere  
& tamen recessi à te, pravam societatem  
non fugi, peccandi occasionem adii,  
eheu! cecidi, & si non verbis; at factum  
te negavi, dum rei creatæ te postpositum  
idque non semel tantùm, sed iterum  
iterumque ac sæpius.

II. Heu! infelix ego peccator, quæ  
nunc me vertam, nisi ad te, præceptor  
amantissimum, cujus misericordiæ non  
numquam

numerus, cuius bonitatis & clementiæ infinitus est thesaurus. Procido igitur pudore plenus ad pedes tuos sacratissimos, veniam & gratiam humillimè exorans. Ne, obsecro, avertas faciem tuam à me; sed respice in me illis misericordiæ oculis, quibus respexisti Petrum, & ille conversus ac pœnitens flevit amarè.

III. O si cum Petro possem indefinenter flere! ô si sanguineis etiam lacrymis peccata mea eluere liceret! Verùm cum id arido & petrâ duriori cordi meo non liceat: agnosco tamen & detestor malitiam meam, execror peccata mea, summèque de iis doleo, quòd summam Bonitatem tuam offenderim; emendationem firmissimè propono; ac te super omnia diligo: Domine tu scis, quia amo te.

## V E N A . II.

### *Ad Exemplum Filii prodigi.*

I. **O** Pater amantiissime! peccavi in cœlum & coram te: jam non sum dignus vocari filius tuus; fac me sicut unum de mercenariis tuis: ego enim sum ille inobediens & perfidus, qui con-

ita

tra mandatum tuum concupiscentiis meis  
 abstractus & illectus abii in regionem  
 longinquam, in regionem umbræ mortis  
 ubi funes peccatorum circumplexi sunt  
 me, & pericula inferni circumdederunt  
 me. O quàm doleo! ô Pater mi! Ego  
 sum belluo ille prodigus, qui substantiam  
 meam dissipavi, gratiam tuam perdidici  
 charitatem amisi, hæreditatem cœlestem  
 dilapidavi. O quàm crucior! Ego sum  
 refractarius ille privignus, qui Patrem  
 optimum malitiosè deserui, summum  
 Bonum graviter offendi, in Benefactorem  
 maximum ingratus insurrexi. O quàm  
 abominor perfidiam meam!

II. Fateor, ô Pater! indignus sum  
 qui vel oculos in cœlum levem: verum  
 tamen quo fugiam à facie tua? ubi  
 abscondam ab ira tua? nunquid me  
 Pater meus es tu, cuius miserationes  
 continere non possunt; cuius pietas non  
 quit concludi? Ego verò licet filii nomi-  
 ne indignum me reddiderim, agnosco  
 men non alium Patrem, præter te Domine.  
 Quare ad pedes misericordiarum tuarum  
 curro; ante thronum gratiæ tuæ prostratus

acido; & per paternum cor ac viscera misericordiae tuae veniam flagito, & remissionem peccatorum meorum humillimè imploro.

III. O Pater piissime! ô misericordiae abyssi! miserere mei; ignosce delictis, parce peccatis, explica paterna viscera, & me si non ut obedientem filium, saltem ut pœnitentem famulum in gratiam recipere, & stolam primam & gratiae vestem redde, anulum indissolubilis amoris restitue; osculo pacis & amicitiae immentem dignare! mihi enim, tibi adhære bonum est, & statutum firmiter, nunquam ampliùs à te separari in æternum. Amen.

### V E N A III.

*Ad Exemplum Mariae Magdalene.*

I. **O** Magister mi; Rabboni dulcissime & amantissime! ah! quàm me pudet ac pœnitet toties peccasse! Te ego infelix deserui, fontem aquae vivae, fontem gratiae & gloriae, fontem omnis boni, torrentem voluptatis: & fodi mihi cisternas divitiarum, honorum, voluptatum, verè cisternas dissipatas, quæ con-  
tinere

P

Virginal

orolog

Sacerdot

tinere non valent aquas. Jugum tuum  
 suave, & onus leve mandatorum tuorum  
 excussi, ac septem Dæmoniorum servituti  
 me subjeci. O quam doleo & ave-  
 sor stultitiam meam! quòd unquam  
 sideraverim aliis placere, quàm tu.  
 Quàm erubesco, quòd vilem creaturam  
 magis adamaverim, quàm te amabile-  
 simum meum Creatorem! O si tot lacry-  
 mis, quot Magdalena, peccata mea de-  
 rem! Sed ubi lacrymæ? ubi gemitus?  
 singultus? ubi sensibilis illa cordis com-  
 motio? Novi quidem, ô Domine, sensibilia  
 cordis vulnera ad contritionem necessari-  
 non esse, quæ potiùs in voluntate, peccata  
 que propter Deum tam amabilem offe-  
 sum, solida detestatione consistit: neque enim  
 omnes tam profluos lacrymarum imbre-  
 tam sensibiles cordis motus in promptu  
 habent, nisi tu dederis: opto tamen  
 hosce doloris mei testes, & tu nosse  
 Domine, quanto opere eos desiderem:  
 quorum defectu, culpas commissas  
 detestor, ut vel sanguine, vel morte  
 Deo meo tam bono illatam injuriam  
 perem abolere.

II. Propono etiam firmissimè vitam meam omni vigilantia possibili emendare: malo vitæ, honoris & bonorum iacturam facere; potiùs omnes mortales etiam charissimos & potentissimos offendere; potiùs omnia, mundi, purgatorii & inferni tormenta, usque ad diem iudicii, imò in æternum sustinere; quàm denuò maiestatem tuam infinitam lædere. Cupio etiam bona & membra mea peccatorum adjumenta in pœnitentiæ instrumenta convertere: delitiæ & divitiæ non vitiorum deinceps, sed egenorum alimenta erunt: rebelle corpus jejuniis, ciliciis, flagris, aliisque pœnis castigabo & in servitutem redigam, ut serium pœnitentis animum & efficax emendationis propositum Deo meo magis demonstrarem: aut enim hic pœnitendum, aut ibi ardendum est.

III. Diligam te, Domine, fortitudo mea, & in signum amoris ad pedes tuos amore mei crucifixos supplex procido. Ah liceat eisdem cum Magdalena tenere, liceat os sacris admovere vulneribus, & osculum amoris pangere. Inveni quem diligit anima mea: hunc ego stringam  
lacer-

P

Virginal

orologe  
Lecardot



lacertis, amplectar brachiis, tenebor  
 nibus, nec dimittam, nisi benedixerit  
 hi; dixeritque: Anima, remittuntur  
 peccata tua, vade in pace. Amen,

## VENA IV.

Ad exemplum Davidis pœnitentem

**P**salmm quinquagesimum, per se  
 dum modum orandi, supra pagina  
 explicatum, ruminando, inharendo  
 stendo singulis verbis aut sensibus, qu  
 diu ad gustum spiritualem aut contri  
 nem quidpiam occurrerit.

*Miserere.*

Ego miser peccator, ad misericordiam  
 fontem recurro, culpam agnosco, misericordiam  
 tum intelligo, ideoque supplex rogo  
 Deus, *Miserere*, miseriæ meæ comp  
 re, afflicto condole, Reo parce, er  
 veniam indulge, pœnitentem in gratiam  
 recipe, & pristinâ charitate complecti

*Mei.*

O Domine! sub ticeo nomen me  
 quod peccando deleui è Libro vitæ  
 in mortis libro adscripti. Ne ergo  
 ras, quis ego sim, ne nomem meum

iram te commoveat: tantum *Miserere*  
*mei*, confitentis peccatum, damnantis  
 culpam, quærentis misericordiam; & pro-  
 pitius esto mihi peccatori.

*Deus.*

Misericors & miserator Domine: non  
 ausim dicere *Deus meus*, sed tantum  
 Deus. Deum agnosco, meum quomo-  
 do præsumere audeo: ego enim peccando  
 te perdidit, malum amando à te elongavi:  
 propterea quasi leprosus appropinquare  
 non audeo, sed de longè stans, cum inti-  
 ma devotione clamo: *Miserere mei Deus!*  
*Secundum magnam misericordiam tuam.*

Magna vulnera, magnis remediis in-  
 digent, magnus peccator magnam gratiam,  
 magna miseria, magnam misericordiam opus  
 habet: ut ubi abundavit delictum, su-  
 perabundet & gratia. Quærant alii par-  
 vam misericordiam qui ignoranter con-  
 trahunt culpam; ego autem sicut graviter  
 cecidi, ita etiam scienter peccavi, ac pro-  
 inde misericordiam magnam requiro.  
 O Domine! misericordia tua magna sit  
 super me; quia non tantum magna est  
 super cælos misericordia tua, sed &

G

mi-

misericiadiã tuã plena est terra. omnib

*Et secundum multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatem meam.* ut pa  
Quon

O Pater misericordiarum ! multitudo Du  
dini peccatorum meorum , multitudo naret,  
miserationum tuarum respondeat. Neq decipe  
tantum tege , sed omnino dele iniquitatem meam quam scripsi è libro conscientie meae , è Libro seu memoriã tuã. Sunt o  
vox tua dulcis in auribus meis : Ego , meam  
*sum ipse , qui deleo iniquitates tuas* plura p  
*pter me , & peccatorum tuorum non requam* quancis  
*dabor.* Isaiã 43. gravite

*Amplius lava me &c.* Et pecc

Ah ! lava me , Domine , ego enim Quã  
nutriebar in croceis & in purpura divino sc  
charitatis , amplexatus sum stercora , cavi , & peccata  
peccata infamia : & in iis velut upupa , velut scarabæus  
scarabæus me volutavi. Obsecro ignosc  
amplius lava me. Lava pedes affecto velut  
depravatorum : Lava manus ab operationibus malis : lava caput à cogitationibus iniquis : lava corpus à corruptione carnis , lava oculos ab aspectibus invidis & supercundis. Effunde super me aquam manifestam  
( Spiritus Sancti ) & munda me. ans. Ah

omnibus inquinamentis carnis & spiritûs,  
ut partem tecum habere merear.

*Quoniam iniquitatem meam ego cognosco.*

Dum tentatio pulsaret, dæmon fasci-  
naret, caro titillaret, species aliena me  
deciperet, excæcatus fui, comprehende-  
runt me iniquitates meæ, & non potui  
ut viderem: peracto autem scelere, aperti  
sunt oculi mei; & ecce, *iniquitatem*  
*meam ego cognosco*, & quanta sit ejus ma-  
litia penso, quantis bonis me spoliet,  
quantis suppliciis obnoxium faciat, quàm  
graviter Deum lædat, perspicio.

*Et peccatum meum contra me est semper:*

Quàm justa judicia tua Domine, qui  
mox scelestos ultor à tergo sequeris: Pec-  
cavi, & mox *peccatum meum contra me*  
*est*, velut larva horrenda *semper*, diu  
iniquitatem me territans: contra me est,  
velut Accusator irata facie in reum fren-  
dens: velut miles armatus in inermem  
insiliens, velut fera immani rictu in præ-  
rupam involans, velut Draco horrendis sibi-  
s & spiris miserum circumplicans; velut  
marnifex crudele supplicium *semper* inten-  
dens. Ah eripe me Domine & libera me!

G 2

Tibi

*Tibi soli peccavi.*

Et si in proximum meum scandalo  
injustitiâ graviter deliquerim, hoc tam  
pro nihilo ducendum est, si cum offensa  
ô Domine! comparetur. *Tibi soli pecca-*  
quia tu solus mihi leges dare, tu solus  
care & punire potes: *Tibi soli peccavi,*  
do te solo conscio & inspectore scelus  
travi, itaq; à te uno misericordiam peto.

*Et malum coram te feci.*

Malum hoc coram te Judice, Patre  
Benefactore feci: coram infinita sapientia  
tua, quæ me aspiciebat, coram infinita  
charitate tua, quæ mihi indulgebat  
ram omnipotentia tua quæ me tenebat.  
Heu quanta ingratitude!

Præstanda sub ipsa Confessione  
I. Accede ad sacrum tribunal  
ad lavacrum Sanguinis Christi Domini  
cum certa fiducia te in sanguine Agni  
albandum, ac mundandum longè perfice  
Naamo in Jordani flumine.

II. Deinde jam instar Filii proditoris  
jam instar Magdalene, Petri &c. ad  
cerdotis pedes, tanquam Vicarii Christi  
procide & benedictionem pete.

III. *Subjunge Confiteor, usque ad mea culpa inclusivè, sub quo breviter actum contritionis renova. Deinde indicato ultimæ confessionis tempore peccata tua confitere. I. Humiliter, ea non excusando. II. Breviter, superflua non narrando. III. Sincerè, peccata non palliando. IV. Honestè & clarè, sufficienter explicando. V. Integrè, addendo numerum certum, vel si is nesciatur, verisimilem; ita ut nullum mortale, voluntariè omittatur: hoc enim grande fore sacrilegium, constat.*

IV. *Denique conclude verbis reliquis ex Confiteor. Vel subjungi poterit: De his & omnibus aliis peccatis meis intimè doleo quòd Dominum Deum summum bonum offenderim, ac firmissimè propono emendationem, petòque salutarem pœnitentiam & absolutionem. Sub qua, cogita animam tuam mundari pretioso Jesu Christi sanguine, cujus merita per Sacramentum pœnitentiæ tibi applicantur & breviter actum contritionis renova. O Deus! propitius esto mihi peccatori. O quàm doleo, quòd te summum Bonum meum unquam offenderim!*

## Præstanda post Confessionem.

*I. Pœnitentiam tanquam si ab ipso Christo Domino injuncta fuisset, libenti animo accepta, levissimamque reputa, ut est, si cum purgatorii, aut inferni periculo conferatur: ac proinde quamprimum potest, explenda est, gratiaq; agenda, ut absolute beneficii, pro quo Sancti Patroni invitandi erunt.*

*II. Subjunge sequentem oratiunculam.*

Sit tibi Domine obsecro meritis Beatorum, & rix semper Virginis, & omnium Sanctorum grata & accepta ista confessio, & quidquid mihi defuit, nunc, & de sufficientia contritionis, de puritate & integritate confessionis: suppleat pietas & misericordia tua, & secundum voluntatem digneris me habere plenius & perfectius absolutum in cælo. Qui vivis & regnas, &c.

*III. Denique tibi jam mundanum Christo dici cogita: Vade & jam amplius noli peccare.*

## VII. ALEXIPHARMACA

Seu media contra tentationes, præsertim carnales; velut totidem clypei contra tela Nequissimi ignea.

I. **E**st fuga: Fugite, ait Apostolus: fugienda sunt itaque prava Societas, aspectus liberior, colloquia periculosa, conversatio proluxa, mansio cum sola, lectio obscæna, otium, intemperantia, convivium, saltus, contactus etiam manuum alienarum, ac demum alia quævis occasio.

II. Præsentia Dei. In omnia tentatione mox vivâ fide dic: Deus omnia cernit: vivit Dominus in cuius conspectu sto: Iudex adest, qui eodem, quo pecco, momento velut Luciferum in Tartarum precipitare me potest.

III. Frequens celebratio pia Missæ Sacrificii, in quo Christum sumis omnis puritatis & sanctitatis fontem, Virginum sponsum, qui pascitur inter lilia.

IV. Confessio crebra eidem sacerdoti valde docto, probato, & prudenti facta, in qua, ut magis te humilies, minima etiam aperi, & singula distinctè explica,



v.g. num primo momento restiteris, verò nec admittendo, nec repellendo quodammodo cum cogitationibus Inferi an denique voluntariè & plenè confiteris.

V. Oratio fervens, ac frequens singulari in Deum fiducia, & protectio quotidiana coram divina Majestate dicendo, te malle mori quàm succumbere. Iuvenit etiam quotidiana commendatio & invocatio Beatissimæ Virginis Angeli Custodis, S. Iosephi, S. Francisci Xaverii, aliorumve Sanctorum pietate excellentium.

VI. Opera pœnitentiæ: qualis usus cilicii, catenule, flagelli, lecti duris, jejunii, orationis peractæ genibus, vel brachiis expansis in modum crucis ante Crucifixi effigiem. Hoc genus dæmoniorum non eicitur nisi in oratione, & jejunio, & asperitatibus. Contra cum Apostolo castigandum & inobedientiam redigendum est, ne rebellet, recalcitret. Certum habere, corpus esse hostem tuum inferissimum, ac proinde latenti tua insidiantem, ac proinde

industria domandum. Post lapsum verò  
mox acerbam de te posnam sume, & in-  
genti zelo vindica, ut hac ratione Deum  
ac Sanctos, quos ante contristaras, exhile-  
res: & contra demones, quos exhilararas,  
contristes.

VII. Dum jam pulsari te sentis tenta-  
tione, aut phantasiâ impurâ, impresso mox  
cordi signo crucis, Jesum invoca, ut in  
corde tuosit, ne tentationi succumbas, &  
cum Augustino protestare: te malle mori  
quàm fœdari & cutem manûs compri-  
mendo, pungendo, constringendo, aliâve,  
quam Spiritus sanctus suggeret, ratione,  
corpori dolorem infer, quo voluptas retun-  
datur: contraria enim contrariis cu-  
rantur. Resistite Diabolo &

tugiet à vobis.

Jacobi c. 4.



Probet autem seipsum Homo.



Ecce ignis et ligna. Gen. 12

Men. Cause sainte

HOR

Præ  
 I. P  
 sacra  
 sande  
 nis e  
 char  
 tion  
 orna  
 sande  
 veni  
 viti  
 præc  
 prop  
 emp  
 nib  
 spir